


Disputatio Philologico-Theologica ... De Convenientia Novissimi Jvdicii Cvm Legislatione


Prior :

Dvisbvrgi: Typis Joh. Seb. Stravbii, [1752?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn857505521>

Band (Druck) Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn857505521/phys_0001

DFG

385


a. B.

48. b. 8.

18

Fa-1092 (18.)

2.
3. 23.
4. 2.
5. 21.
6. 20.
7. 18.
8. 7.
9.
10.
11.
12.



2.

23.

3.

22.

4.

21.

5.

20.

6.

19.

7.

18.

8.

7.

9.


15.

10.

14.

11.

12.



2.

3.

23.

4.

21.

5.

20.

6.

19.

7.

18.

8.

7.

9.

15.

10.

14.

11.

12.

DISPUTATIO
PHILOLOGICO - THEOLOGICA
PRIOR

DE

CONVENIENTIA
NOVISSIMI JUDICII
CVM LEGISLATIONE

QVAM

V. D. O. M.

PRÆSIDE

PHILIPPO JACOBO
AMMENDORFF

S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD.

IN ACADEMIA REGIA DVISBVRGENSI

D. XVIII. JVL. MDCCLII.

H. L. Q. S.

DEFENDENDAM SVSCIPIET

RESPONDENS

HENRICVS SCHLICKVM

ELVERFELDA - MONTANVS

S. THEOL. CVLTOR.



DVISBVRGI

TYPIS JOH. SEB. STRAVBII, ACAD. TYPOGR.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

11.

12.

VIRIS PLVRIMVM REVERENDIS
ERVDITIONE AC PIETATE CONSPICVIS
DIVINORVM MYSTHPION IN ECCLESIA DOMINI NOSTRI
JESV CHRISTI OIKONOMOIS FIDELISSIMIS AC
SOLERTISSIMIS

DOMINIS

DN. *DITHMARO HACKMANN*
IN ECCLESIA WALDENSI

DN. *JOH. WILHELMO NOSSE*

DN. *RHEINHARDO MEYER*

DN. *JAC. THOMÆ STEINBERG*
IN ECCLESIA DVISBURGENSI

DN. *HENR. ABRAH. FRANCIO*
IN ECCLESIA BISLICENSI

DN. *GERHARDO VON EICKEN*
IN ECCLESIA METTMANNIENSI

DN. *JOHANNI OLPE*
IN ECCLESIA SONNBORNENSI

DN. *JOH. GEORG. KRAVSHAAR*
IN ECCLESIA FELBERDENSI

PATRONIS AC FAVORIBVS SVIS
AD CINERES VSQVE COLENDIS

HOC STVDIORVM SVORVM SPECIMEN
SACRVM FACIT ATQVE SE ET STVDIA SVA COMMENDAT
DEFENDENS

HENRICVS SCHLICKVM
ELVERFELDA · MONTANVS.

auspiciis nutu & voluntate esse gesta, & Mosen, cujus auctoritas ad montem Sinai maxime crevit, esse ipsius legatum. Non injuria igitur, viri docti ex hac historia miraculorum plenissima, veritatem & divinitatem religionis Mosaicæ demonstratam dederunt. Nemini etiam mirum videri debet, si vates sacros passim in stupendam hanc historiam digitum, illumque medium intendere observaverit.

§. II.

Animus in præsentiarum non est, loca in Psalmis (1) & prophetarum oraculis obvia (2) illustrata oculis subjicere lectorum; dignissimum hunc aliorum industriæ relinquimus laborem. Ansam potius arripiemus illustrandi, ex memorabili hac historia, phrasès, locutionesque, ac processum novissimi, quod nos manet judicii. Ne vero extra oleas, quod ajunt vagetur meditatio nostra, I.) parallelismus inter ipsam legislationem hujusque executionem instituemus, qua occasione lucem phrasibus huc pertinentibus quantum fieri poterit adfundemus. II.) Rationes indagabimus, quare potius ex hac quam ex alia historia verborum & phrasium apparatus sit desumptus. Annuat instituto Deus


§. III.

Legislator gloria summa fulgens, duplici a Mose nomine, altero appellativo *Elohim*, altero Jehovah soli Deo proprio, insignitur, de quo ultimo non inepte BECHAI (3) observat, in maxima gloria revelatum esse in monte Sinai. Quia vero

(1) Ps. 14: 2. 18: 8. seqq. 50: 3. 4. 68: 9. 81: 9. 10. 11. 97: 2-5. 99: 5. 104: 32. 114: 4. 7. 147: 15.

(2) Jud. 5: 4. Jef. 2: 2. 3. 30: 27. 30. 63: 15. 64: seqq. 66: 15. Jerem. 7: 22. 31: 32. Hab. 3: 3. 4.

(3) BECHAI in Leg. cap. IV. p. 94. השם המיוחד נגלה על הר סיני כגבורו והוא מדבר עם מושה והכבוד הזה הוא אל שדי Nomen Dei proprium revelatum est in gloria sua in monte Sinai, & idem illud loquebatur cum Mose, gloria autem hac est Deus omnipotens.



vero & Patri & Filio & Spiritui S. jure datur, non levis momenti quæstio enascitur, quis sit ille Jehovah, quem ut tremendum venerandumque legislatorem suspiciebant Israelitæ. (1) Proprios gentis doctores si, ad solvendum nodum intricatissimum advocaverimus, vel sine monitore observabimus, quod non eadem incedant via. Sunt ex recentioribus & antiquis qui, Filium negantes, & Spiritum S. non agnoscentes, Patrem nominant, ipsique in acceptis referunt omnia ad montem Sinai gesta, quod & gentibus per traditionem innotuit. (2) Alii a Deo discedentes, angeli alicujus ordinis supremi ministerio omnia esse peracta contendunt, & hunc angelum sibi nomen & honores Dei tribuere, afferere non dubitant, quæ vulgarissima est hodiernorum Rabbiorum sententia. (3) Cum his faciunt, ut missos faciamus *Basilidem* & *asseclas*, (4) ex patribus *Dionysius Arcopagita* (5) & *Tertullianus* (6) quorum ille pariter angelum creatum, personam Dei excellenti quadam ratione referentem intelligit; hic vero omnes apparitiones, veteris fœderis piis factas, angelis adscribit. Alienus ab hac sententia, Hipponensium præsul, divus *AVGVSTINVS* (7) non esse videtur. *Non satis*

- (1) Non moramur hic Carpocratianorum, Marcionatarum & Manichæorum somnia, principium tenebrarum, Deum malum, Arimanium legem tulisse. Est enim hæc lex bona, & tanquam Pædagogus ad summum bonum per fidem in Christum adipiscendum ducit.
- (2) *DIOD. SICVLVS Hist. lib. I. p. 59.* Edit. Gr. anno 1559. in fol. excusa, de Mose refert: *Tradidit legem populo Judaico, quam & JAH se accepisse dicebat, quo nomine Deum suum lingua sua significavit.*
- (3) Vocare hunc angelum communiter solent *Jesiffa*. Conf. *EISENMENG. Jud. decret. Tom. I. pag. 57. & 311.*
- (4) *EPIPHANIVS T. 2. hæres. cap. 24.* docet, *Basilidem* dixisse Deum Judæorum esse angelum, & aliis quidem contumaciorem, qui pertinacia brachii sui Israelitas eduxerit ex Ægypto, & legem præscripserit in deserto.
- (5) *de Cæl. Hierarch. cap. 4.*
- (6) *de Carne Christi cap. 3.*
- (7) *Lib. 2. de Trinit. cap. 12.*

A 2

23.
22.
21.
20.
19.
18.
17.
16.
15.
14.
11.
12.

*fatis compertum esse, scribit, quis in Sinæ vertice legem dederit, nec ad unam personam magis quam ad cæteras duas aut universas applicari posse; sive per se, sive corporea aliqua obducta specie sive per ministros angelos omnia illa gessisse credantur. Alio in loco (1) clare docet per angelos omnia esse gesta. Probare hypothefin ex Heb. IX. & Act. VII. voluit. Avide hanc opinionem arripiunt qui Socinos sequuntur, (2) ut eo facilius evincere possint, sospitorem nostrum ante miraculosam suam ex Maria nativatem, non existisse. Assedas, quem admodum in aliis, habent ex *Remonstrantium* familia LIMBORCHIVM (3) & alios. Parum probabilem hanc conjecturam refellunt non tantum nomen *Jehovah*, memoriale illud Dei, quod nulli creaturæ datur in oraculis sacris; quod tamen legislator sibi imponit Exod. XX. 2. *Ego sum Jehovah Deus tuus*; sed & mores legatorum ei bellum indicunt. Legatos legantium dominorum sustinere personas, tam certum est quam quod certissimum. Sed an unquam est auditum, legatos sibi nomina imponere dominorum suorum? Exemplum tale allegari nequit nec ex sacra nec profana historia. Moses Dei legatus ad Pharaonem, plenaria auctoritate instructus, nomine Dei loquebatur: *ita ait Jehovah Deus Israelitarum, dimitte populum meum.* (4) Non autem dicit, ego sum Jehovah Deus Israelitarum. Sic legati *Jacobi*, *Esavum* alloquuntur, *ita dicit Jacob Servus tuus*, (5) nemo vero dicit, ego sum Jacob servus tuus. An non etiam Deus, legum ferendarum angelo committens negotium, idololatriæ velificasset, quam tantopere detestatur, & ob quam toties acerbe puniti leguntur Israelitæ? Rectius igitur alii filium Dei salutant Legislatorem. Nam monet hoc sacer vates Pl. LXVIII. V. 8. & 9. Sat clare enim omnia, quæ montem Sinai reddiderunt celebrem, illi Jehovah attribuit, qui adscendit*

(1) *Lib. cit. cap. 11.*

(2) *Conf. Clar. COCCEJI Comment. in Epist. ad Heb. c. 12: 25. seqq. §. 77.*

(3) *Conf. ejus Comment. in Act. 7: 38. & in Epist. ad Heb. 12: 26.*

(4) *Exod. 5: 1.*

(5) *Gen. 32: 4.*

Jehovah sive τὸν λόγον, (1) per legislatorem intelligunt. Horum vestigia legunt Patrum oculatissimi, JUSTINVS MARTYR, ORIGENES, NOVATIANVS, IRENÆVS, patres SYNODI ANTIOCHENÆ, contra *Paulum Samosatenum* celebratæ, ATHANASIVS, CYRILLVS Hierosolymitanus, BASILIUS, CHRYSOSTHOMVS, CYRILLVS Alexandrinus, HILARIUS AMBROSIVS, PRVDENTIUS, LEO M. & alii, uno ore docentes, solum Filium Patribus V. T. apparuisse, ipsumque legem in Arabia solitudinibus rogasse. (2)

§. IV.

Eundem etiam esse judicem viventium & mortuorum, sacræ paginæ ubique inculcant. (3) Et cui judicis partes feliciter committerentur quam ipsi, omnibus dotibus judicis optimi angelorum & hominum, eminenter exornato. Non tan-

Dei filium. Conf. HENR. MAJI *Syn. Theol. Jud. lib. 4. sect. 1. p. 70.* WITSI *Mist. Sac. Tom. I. p. 150. f. Tom. II. pag. 101.* EISENMENG. *lib. cit. T. II. p. 400.* BVXTORFF. *Lex. Talm.*

- (1) מִמְרָא in *Paraphr. Chald.* frequentissimi esse usus notum est omnibus. Utuntur vero vocabulo interpretes ad personam Messie indicandam; vocabula enim שְׂכִינָה & מִמְרָא, מְשִׁיחָא, ipsis sunt ἰσοδυναμοῦντα. Ponunt vero ONKELOS & JONATHAN verbum hoc Deut. V. 21. f. ostendit nobis Deus gloriam suam & magnitudinem suam & vocem VERBI ejus (וַיִּתְּקַל מִמְרָא) audivimus. C. V. §. ego stans fui inter VERBUM domini & inzer vos illo tempore. Conf. JOH. HENR. MICHAELIS *differt. de Usu Targumim in doctrina de persona Christi, speciazim de voce מִמְרָא* MORNÆVS *de Verit. Rel. Christ.* p. 618. Edit. Breithaupr. WITSIVS *in Jud. Christ.* p. 95. f.
- (2) Ipsa testimonia adducere supervacuum esset, cum otium hic nobis fecerit, in evolvendis patrum monumentis exercitativissimus DIONYS. PETAVIVS, in eruditiss. Opere *de Theol. Dogm.* Tom. II. lib. VIII. c. 2. p. 447. f.
- (3) *Job.* 3: 25. 5: 22. 17: 2. *Marth.* 11: 27. 24: 30. 25: 31. 32. 26: 24. *Act.* 10: 42. 17: 31. 2 *Cor.* 5: 10. Hinc pii Christum venerantur ut judicem & ut legislatorem suum *Jes.* 33: 22,

tantum omniscientia fulget, ut accuratam virtutum & vitiorum, de quibus sententia ferenda est, habeat cognitionem; sed & justus est, ut unicuique suum distribuere possit. Propolepsia, quæ alias ad suffragia corrumpenda est efficacissima, in ipso non habet locum: (1) Fortitudine & constantia est armatus, ut nec precibus nec commiseratione, quo minus in scelerum mancipia animadvertat, frangatur. Et quod agmen ducit, labis & maculæ omnis est expers. Perabsurdum enim est jus dispensandum committere peccati reo, quem de sceleribus admittis conscientia angit & exagitat. *Qui alium de peccato arguit, ipse a peccato debet esse alienus*, juxta sententiam ISIDORI HISPALENSIS. (2) Facit cum ipso GREGORIUS M. judicem terræ hunc in modum depingens: (3) *Mundus ipse a vitis esse debet, qui aliena corrigere curat. Ideo SOLVS DEI FILIVS judex est, quod neque peccare potest & ab humanis perturbationibus est liber.* (4) Est etiam, ut hoc addamus, judicandi potestas pars præmii laborum, in gratiam hominum exanthlatorum, per cujus exercitium in summa emphasi sibi subjecta videbit omnia, ut penam reposcere possit ab illis, qui partam & oblatam per ipsum salutem, proterve repudiarunt. Si denique est necessarium, ut judex hominum coram cernatur & ex ipsius ore sententia audiatur: si necessarium est, ut quem in statu exinationis & humiliationis conspexit mundus etiam gloria circumfusum ineffabili revereatur & suspiciat; Christo judicii novissimi administrationem competere, quis ambigat, quis dubitet?

§. V.

- (1) *Jes. 11: 3. 4. 42: 3.*
 (2) in *Lib. de Off. Eccl. cap. V.*
 (3) *Lib. VII. Moral. cap. XVI.*
 (4) PHILO JVDÆVS in *Lib. de Jud. p. 738.* idem postulat in iudice, ἀποπον γὰρ, inquit ἀμαρτήμασιν ἐνόχους τὰ δίκαια βραβεύων.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

11.

12.

Dei, *יה סני* Hic Sinai hoc est qui tam fortis & immobilis, videtur, commotus est a presentia Dei. (1) Sic & Pf. XVIII. 8. adventum Dei ad exercenda judicia, phrasibus ex nostra historia desumptis describit, *concutitur & movetur terra, fundamenta montium conquassantur; concutiuntur autem cum ira accenditur ei, & f. p.* (2) Alterum majestatis divinæ symbolum erat nubes caliginosa & atra, medium cingens montem, cujus supremo vertici incubabat nubes lucida, ut totus mons fumaret adinstar fornacis ardentis. Existimandum enim non est, ac si lux & tenebræ fuissent confusæ, per naturam enim hoc fieri nequit, neque etiam Moses hoc, distinguens atram a luce caliginem, indicat, quemadmodum sole meridiano clarior apparet ex Exod. XXIV. 15. seqq.: *Ascendebat Moses montem illum, (operiebat autem nubes montem illum, habitabat enim gloria Jehovæ in monte Sinai) & operuit eum nubes illa sex diebus; nisi nos fallunt omnia his depingit caliginosam nubem montem cingentem & Mosén regentem. Additur, postea in clamavit Mosén die septimo e medio ipsius nubes; Nubes hæc jam describitur: species autem gloriæ Jehovæ erat sicut ignis. Hinc jam fit clarum nubem hanc fuisse diversam ab altera illa, nempe erat lucida. Situm etiam diversum eî adsignat in seqq.: erat in summitate illius montis, ante oculos filiorum Israelis, hoc est suis luminibus Israelitæ videbant nubem hanc lucidam in montis vertice summo constitutam. Cui hæc nondum sufficiunt, ut perpendat ultimum versiculum capitis & cum 15 Y. conferat rogamus. Ultimus docet Mosén*

(1) CASTALIO LXX. secutus inepte reddit: *Terra contremiscebat, ipsique cæli fluebant ad ILLIUS SINAIENSIS DEI præsentiam.*

(2) Etiam pagani *τῆρας* pro simbolo *επιφανείας* vel *επιφανείας* habuerunt. Testimonia collegerunt SPANHEMIUS in *Obs. ad Callim pag. 48.* STEPH. LE MOYNE in *Var. Sac. p. 279.* Et hinc, ut obiter hoc moneamus, illustandus est sermo centurionis ad crucem domini excubias agentis, Math. 27: *Centurio vero qui cum eo servabant Jesum, viso TERRÆ MOTU signaverunt vultu, dicentes, vere iste erat filius Dei.*

B

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

11.

12.

Mosen adscendisse & atra caligine tectum per sextiduuma mansisse. Evocatus a Deo adscendit in medium ipsius nubis in montem. Procul dubio hæc nubes est distincta ab illa, qui enim alias adscendere potuisset, si jam in illa fuisset. Non parum roboris sententiæ accedit, quod toties legamus, *Jehovam ex medio igne esse locutum*, (1) certo argumento de nulla elementorum cogitandum esse confusione. (2) Cætera per duplicem hanc nubem unum aliquod corpus constituentem, *columnam nubis & ignis*, tot virorum doctorum dissertationibus delineatam intelligi, non opus est ut moneamus. Hæc enim quemadmodum notum est omnibus, vocatur *gloria* Jehovæ & erat symbolum præsentiae ipsius constans & perpetuum. (3) Erat שכנה *habitaculum* angeli federis, ducis populi Judaici, in vastis Arabiæ solitudinibus errantis. Vocatur vero *columna nubis & ignis* propter duplicem adspæctum, inferiore enim sui parte erat caliginosa, & superiore erat lucida, propter ignem miraculosa quadam ratione in unum corpus collectum & conservatum. (4) Reliqua

(1) Conf. *Deur.* 4: 12. 15. 33. 36. *Exod.* 24: 9. coll. cum 14. 15.

(2) Distincte de nube caliginosa & lucida hic differere placuit, quia interpretæ tantum non omnes, mirum in modum hic elementa miscent, in lucubrationibus suis, quo ipso tenebras fat spissas adfundunt locis plurimis; verbi gratia, quando Moses ex nube in nubem vocatur: quando seniores populi Israelitici in nube consistentes, aspiciunt pavementum pedum Jehovæ, quibus tamen accessus liber negatur & s. p. Accedit quod consideratio hæc faciat ad illustrationem multarum scripturæ Phrasium, ut *Ps.* XVIII. 10: *Caligo est sub pedibus ejus.*

(3) Commodam hic haberemus occasionem differendi, de gloria in apparitionibus Dei symbolicis visa, rejicimus vero hoc in aliud tempus.

(4) Mitimus hic miras virorum doctorum de hac columna sententias aut si mavis hariolationes, ex fontibus non satis limpidis haustas. Inferiorem autem illius partem caliginosam fuisse nubem, his evincimus argumentis. 1) ענן absolute positum sapissime nubem atram, caliginosam denotat. Conf. *Genes.* 9: 13. 14. *1 Reg.* 8: 10. 11. *Ezech.* 1: 4. 30: 3. 18. *Job.* 3: 5. ubi a LXX. redditur γνόφος caligo

) II (

qua majestatis divinæ symbola erant *fulgura* ex nube caliginosa magna vi erumpentia, & *tonitrua* horrore suo omnia replentia & aures obthurantia. Nam totus

remugit

Mons circum, & vocem late nemora alta remittunt.

Signa hæc indicat Moses, quando dicit, (1) die tertio ubi mane fuit, exsisterunt קלות וברקים *voces & fulgura*. Per *Voces* tonitrua esse intelligenda, extra omnem dubitationis aleam est positum. Quid enim est aliud quam sonus aut vox verberati pressique aeris? (2) Sed quando additur: & fuit קול שפר חזק מאד *vox tubæ vebemens admodum* non eadem mens hæret omnibus, nonnullis de Sonitu tubarum proprio, hac occasione in montis vertice audito, cogitantibus. At quia tubarum Sonitus parum conveniens est rei præfenti, nec satis cohæreret cum tonitruum fragore, facile apparet variantem

caligo, tenebrae, & ab AQUALA νεφωσις, nubilum Jel. 44: 22. Etiam *Græcorum νεφέλη & Latinorum nubes* hoc in significato occurrunt. 2) Nubes tegumento erat contra æstum urentis solis, in calidissimis Arabiæ regionibus, huic fini alia nubes inservire non potuit quam caliginosa, & tenebrosa absorbens radios solares & temperans æstum ignis. Huc respicitur Pl. 105: 39. Jel. 4: 5. 6. 3) Non opus est verbis adsunt rerum testimonia, Exod. 14: 20. *nubes caliginosa* pars altera columnæ nubis & ignis tardabat accessum Ægyptiorum ad Israelitas, altera vero pars *nubes lucida* noctem illuminabat ut sicco pede trajicere mare possent Israelita. Quæ clar. CRAMERVS hic excipit in *Theolog. Israel.* ad examen revocavit cel. LAMPIVS *Fæd. Gr. part. III. p. 1512.* 4) Provocamus ad Legislationem Sinaiticam, ubi nubes caliginosa & lucida aperte distinguuntur & nullo modo confunduntur, quemadmodum demonstravimus.

(1) Exod. 19: 16. 19.

(2) Sæpiissime hoc sensu קול est explicandum. Conf. GLASSII PHILOL. p. 1697. Hoc sensu etiam φωνή legitur in N. T. Apoc. 6: 1. 4: 5.

B a

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

11.

12.

tem rotantis tonitru fragorem, (1) & sonitum, aeris collisione efformatum, simili perquam appposito, a tuba vel bucina desumpto, declarari. Etiam profani scriptores, tonitrua descripturi, illo utuntur. Sic Virgilius *Æn.* lib. VIII. § 24. l.

*Namque improvise vibratus ab æthere fulgor
Cum Sonitu venit: Et ruere omnia visa repente
TYRRHENSQVE TVBÆ mugire per æthera
CLANGOR*

Suscipiunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens.

Hæc sunt signa illa in gloriosissimi Legislatoris adventu conspicua, (2) quæ gloriam conciliarunt legi, quæ tamen simul respectum habebant ad fœdus Sinaiticum, (3) & Oeconomiam Legis Mosaicæ, quemadmodum recte observant Theologi.

§. VI.

Hæc ipsa signa etiam Christum, judicem viventium & mortuorum, ejusque adventum gloriosum reddent. Terræ motum præcessurum, totiusque naturæ concussionem, palam prædixit Paulus, *Hebr.* XII. 26. *adhuc semel ego concussuram*

(1) *Jupiter* propterea αἰολοβρόντας Ζεὺς varie tonans *Jupiter* a PINDARO vocatur. Non fallitur forsitan *clar.* GVRTLERVS, quando, in *Orig. Mund.* lib. I. c. 16. p. 181. Fabulam Jovis tonantis & fulminantis ex historia Jehovæ descendens in montem Sinai, deducit.

(2) Solent gentiles fere eodem modo adventum Deorum suorum describere. Loca huc facientia ex *Homero*, *Aristophane* & l. p. collegit *clar.* LAMPIVS in *Proleg. Job. præm.* lib. I. c. 2. §. 12. in *notis*. Colligere hinc cum *clar.* PETRO BVRMANNO licet, ad gentes devenisse, vel ex sacrorum librorum noxia, vel certe ex obscura de iis fama tales de Deo locutiones. Ζεὺς καταβάτης p. 32. 33. 34.

(3) *Cel.* BRAVNIUS de vestit. *Sacerd.* *Hebr.* lib. I. c. 4. p. 83. l. existimat *Virgilium Æneid.* lib. 12. v. 200. forsitan huc respexisse, quæ illo canit:

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit.

tiam non solum terram sed & celum. Non fugit nos, verba hæc ab interpretum flore, de concussione, facta per Evangelii salutiferam doctrinam accipi. Quominus vero huic sententiæ subscribamus impedit *Y. 27.* ulteriorem verborum qui complectitur explicationem: *illud semel declarat instabilem rerum, utpote factitiarum amotionem, ut maneant quæ sunt stabilia.* His verbis quidem vulgus interpretum, Evangelium opponi Oeconomiam Mosaicam censet; Sed reclamat nexus, & totius orationis filum. Privilegia credentium N. T. descripserat vir divinus, opposite ad statum sub Oeconomia Mosis viventium, phrasibus & vocibus a legislatione mutuo desumptis a *Y. 18 - 24.* Ultimum horum erat, pervenisse ad mediatorem N. T. cujus sanguis meliora loquatur quam Abelis, vindictam, scil. reposcens a Deo. Hinc per necessariam consequentiam, educit Apostolus doctrinam, quia meliora Christi sanguis loquatur, esse audiendum. Fulcit hanc exhortationem *Y. 25.* motivo a periculo summo impendente refractariorum cervicibus desumpto. Argumentatur nimirum a minori ad majus: *Si non effugerunt illi, qui recusarunt audire loquentem in terra, hoc est in monte Sinai, multo minus nos effugiemus &c.* Additur ratio, quare effugere nequeamus, quia adhuc semel concussurus sit terram non tantum, sed & celum. Ulterioris explicationis & declarationis ergo *Y. 27.* subjungitur temporis circumstantia, instare scilicet adhuc illam concussionem in fine seculorum, rebus inconstantibus, mutabilibus, manibus factis, interitum allaturo ut maneant & perdurent quæ stabilia sunt. Quanam hic esset ratio morem gerendi voci Jesu Christi, si hic respireretur ad oeconomiam legalem, si res inconstantes, mutabiles, manibus factæ, V. T. periphrasin continerent? Loquitur sanguis Christi meliora quam sanguis Abelis, est igitur audiendus, nam abrogabit oeconomiam Mosaicam & introducet oeconomiam constantem. Languida, jejuna & hiulca sunt omnia. Substituatur vero, cum adventu ad ultimum judicium conjuncta concussio cæli & terræ, & fortissimum habebimus argumentum efficacissime ad Christum audiendum exstimulans: quo-

B 3 modo

23.
22.
21.
20.
19.
18.
17.
16.
15.
14.
11.
12.

modo effugiemus, si audientiam negaverimus illi, qui iudicatum venturus in fine seculorum conquassabit cœlum & terram. (1) Confirmamur non parum in hac conjectura, quia & alia sacre scripturæ effata simile quid docent. Sic Servator Math. XXIV. 29. reditum ad iudicium describens dicit, *potestates cœlorum concutientur, & Petrum Apostolum hanc rotius naturæ collisionem 2 Epist. III. 10. describere, phrasés aperte docent cœli cum stridore præteribunt, elementa æstuantia solventur, & terra & quæ in ea sunt exurentur.* (2) Respicere vero Apostolum ad Legislationem, quando prænunciat dominum & cœlum & terram concussurum, nemini potest esse ambiguum; nam parallelissimum quasi instituit inter statum veteris fœderis fidelium, & inter pios adoratores Jesu Christi, sub ultima œconomia viventes. *Illi venerunt ad Horeb vel Sinai: hi ad Sionem, civitatem Dei vivi. Illi venerant ad angelos turmatim dispositos: hi ad angelorum myriadas non tantum, sed & ad concionem primogenitorum, ad spiritus iustorum. Illi venerant ad legislatorem: hi ad iudicem omnium Deum & mediatorem. Illi accesserant ad Legislatorem terram concipientem & in terris loquentem: hi ad iudicem qui adhuc semel concutiet cœlum & terram, ut iudicium administret. Descendet vero iudex in nube lucida, quali olim ex monte olivifero ad beatorum sedes adscenderat. Iustam lectoris pertimescere deberemus indignationem, si in hoc demonstrando fusi esse vellemus. Certatim enim hoc fecerunt viri docti, qui data opera de adventu Jesu Christi ad iudicium disseruerunt. Longe major erit gloria*

(1) Non deessent nobis pro stabilienda sententia, alia argumenta v. g. per Evangelium cœlum non esse concussum, œconomiam illius non esse immutabilem, cessabit enim ultimo iudicio celebrato & c. p. sed quia nexus satis est clarus illa mittimus.

(2) Inaudivisse gentes aliquid hac de re, vel ex solo OVIDIO videmus *Metam. lib. I. canente:*

*Esse quoque in fatiis, reminiscimur affore tempus
Quo mare quo tellus correpraque regia cœli
Ardeat & mundi moles operosa labores.*

ria iudicis quam quidem erat in monte transfigurationis; parum conveniret nubes procellosa tali iudici, cujus maiestatem radiosque lucidissimos ipsum ambientes & propter quos describitur, iride amictus, non leviter obscuraret. Si transfiguratio in monte est speculum gloriae, in qua est appariturus, quemadmodum revera est: si semper in nube gloriosa apparuit, & visus est: si vel ipsi angeli beati in tali nube sese conspiciendos praebuerunt mortalibus; certe de nube tenebrosa in glorioso iudicis adventu, nemo cogitare potest. Praestabit vero nubes haec non tantum hunc usum, ut tanquam currus triumphalis deducat magnum nostrum iudicem, sed & thronum aut si mavis tribunal in aere efformabit pro quo iudex gloria coronatus, sedebit iudicaturus vivos & mortuos. (1) Erit autem tantum unica, quam tamen circumcingent aliae nubes, & angelis & sanctis, assessoribus iudicis recipiendis, inservientes, quibus pariter lux negari nequit. Sistet igitur oculis iudicandorum, tractum in aere haerentium nubium, & hanc ob causam dicitur, veniet μετὰ τῶν νεφελῶν Marc. XIV. 62. Apoc. I. 7. Non deerunt denique fulgetra & tonitrua maiestatem iudicis praedicantia. Haec enim procul dubio intelligit Paulus, descensurum affirmans dominum ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, καὶ ἐν σάλπιγγι θεοῦ. 1 Thess. IV. 16. Non latent nos discrepantes virorum doctorum de his verbis, sententiae, summatim a Ven. WOLFFIO (2) exhibitae, a quarum examine abstinemus. *Archangelum* esse ipsum filium Dei iudicem, sine idearum mixtura summa, cogitari nequit; nam aperte distinguitur. Esse illum angelum creatum nisi alia evincerent scripturae testimonia, hoc unicum Paulinum sufficeret, nam non tantum in comitatu est Christi cum reliquo caelorum exercitu; sed & idem implet

(1) Hanc ob causam vocatur haec nubes θρόνος δόξης Math. 19: 28. Etiam gentes thronos & sellas suis dextris posuisse est notum. Vid. PETR. ZORNII *Bibl. Ant.* p. 704.

(2) WOLFFII *Cur. Crit.* ad h. l. WITSIVS in *Symb. Apost. Exerc.* XXII. §. 14. f.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

11.

12.

implet munus, quod angeli ceteri in iudicio gerunt, scilicet in colligendis hominibus ad tribunal iudicis est occupatus. Videtur igitur esse angelus excellentissimus, ex ordine illorum supremo, qui ad voluntatem iudicis mandata dat reliquis, illorumque ordines moderatur, & hanc ob causam *archangelus* h. e. princeps angelorum, distinctionis gratia, eluet. Hujus archangeli φωνή vox articulata, in aeris fluido formata, qualis est illa: *ecce sponsus venit, exite in occursum*, esse nullo modo potest. Quid enim hic prodesset articulata vox *exite*? etiam si omnes terrarum angelos personaret. Omnes qui in sepulchris jacent, auribus sunt capti & organis sensoriis destituti, ut vocem haurire nequeant. Ut audiant prius corpora sunt ex pulvere excitanda, quod non per vocem fieri potest, sed omnipotente Jesu Christi jussu & imperio, defunctorum monumenta pervadente & residuas corporum tenuissimas partes conglomerante. Σάλπιγγξ Θεῶν etiam *tubam* proprie dictam, vel acutam inde emissam vocem denotare nequit. Si ad arma vocandi essent homines & ad sæva bella gerenda: si ad dies festos celebrandos, præsentis mundi scena finita, invitarentur omnes: si ad Dei imperium, mediante tubarum sonitu, muri altissimi essent subruendi & dejecti: vel denique si Rex gloriæ incondito tubarum sono caperetur ad exemplum regum, hominumque terrestrium; non alieni essemus ab illorum sententia, qui se buccinarum sonitus audituros præstolantur. (1) Sed sermo est de ad-
ventu

(1) In Oracul. Sibyll. lib. VIII. Sibylla Erythræa vel Cumana ut vult Augustinus in Acrostichide notissima ψ. 23. f. hac de re canit:

Σάλπιγγξ δ' κρανόθεν φωνὴν πολύθρονον ἐφίσει
ὠρούσα μύθος μελέων --

Job. Opifereus reddit:

Sidereisque sono tristi tuba clangens ab oris
Sulcorum facinus mœrens.

Legitur etiam hæc sententia in cantico notissimo, Es ist gewislich an der Zeit ic. versu enim secundo dicitur: Posaunen wird man hören gehn bis an der Welt ihr Ende.

ventu iudicis glorioso, quem comitantur tonitrua & fulgura, ut homines auram vitalem illo tempore trahentes, attenti reddantur ad hæc signa, ut in se descendant & se ad rationes reddendas accingant. Φωνὴ igitur nobis idem est quod Μοσὶ ἤρ tonitru, adscribitur vero archangelo, quia Dei iussu tonitrua excitabit. Σάλπιγξ Θεοῦ sive quod idem est σάλπιγξ μεγάλη (1) indicat, horrifonos tonitruum, pergentium, rumpentium & disjicientium nubes, efformatos in aëre fragores & mugitus, sonantium tubarum vocibus non ablimiles, quando ut cum *Marone* loquamur,

iterum atque iterum fragor intonat ingens.

Exprimitur illud ipsum quod Moses vocat **תִּבְעָה קוֹן רַב** *tuba maxima*. Quia vero tonitrua semper sunt conjuncta cum fulgetris, jam intelligimus hæc non defutura. Hinc Johannes in *manifesto regni Jesu Christi*, quo nomine *clar.* BENGELIUS Apocalypsin vocat, cap. IV. 5. dicit ἐκ τοῦ θρόνου ἐκπορεύονται ἀστραπαὶ καὶ βρονταὶ καὶ φωναί, prodibant ex throno fulgura & s. p. quibus respondent horrifera tonitruum fragores, quod in *Orac. Sibyll.* l. c. v. 27. non inepte exprimitur:

Πεύσει δ' ἐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἰδε τα Θείου.

Decidet e caelis ignisque & sulphuris annis.

Cum igitur fulmina & tonitrua, quorum in nubibus caliginosis & tenebras spargentibus, est sedes, ex throno prodeant; colligere debemus, hujus generis nubes basin esse futuras, tractus nubium lucidarum folium gloriæ constituentium, & hoc modo idem in novissimi iudicii die erit conspicuum, quod

(1) Vocabulum **אֱלֹהִים** & Θεός quam sapissime epitheti loco adhibentur ad evehendam & intendendam significationem. Sic terror Dei est, *terror maximus*, princeps Dei est *princeps maximus*, bellus Deo *eximie bellus*, sic tuba Dei est *tuba maxima*, quemadmodum etiam Math. 24: 31. dicitur. Conf. Glassii Philol. pag. 592. f.

quod tremendum erat Judæis in Sinai vertice. Cætera hinc omnium optime, fatum hujus mundi ultimum, exustio illa universalis, qua ab hominum sceleribus operibusque stolidis infecta terra nostra, ita purgabitur ut nova prodeat terra & cælum novum juxta promissum Dei. Fulmine toties tacta terra nostra, flammæ concipiet dirissimas, quas sustentabit combustibilis per totam terram sparsa materia, nitrosa, sulphurea &c. ex cavernis terræ subterraneis cum impetu, non sine subversione urbium, domorum, agrorum, montium erumpens. Saltem brevior hæc nobis videtur via, altera illa quæ incendium hoc a cometarum appropinquatione expectat. Doctrina enim de syderibus his ignotis, cæli facibus obscurior est, quam ut certi quid inde deducere queamus. Et si concederemus *clar.* WHISTONO cometa [Rabbini כִּימָה & כִּסִּיל nominant] (1) aquarum eluvionem primo mundo fuisse inductam, quis pignore contendat, hos ipsos cometas redituros in fine seculorum, aut quis demonstrabit esse Hætoris Anno 1680. visi officium, ut terram nostram ab inhærentibus humanis sordibus, igne suo purgatorio liberet.

§. VII.

Legislator in splendidissimo comitatu ad legem ferendam apparuit. Stipabant enim ipsum angelorum myriades. Moses hunc comitatum describit, monuerunt de illo etiam spiritu veritatis acti, Stephanus Protomartyr, & Paulus interpret rerum Judaicarum facundissimus. Ille Act. VII. 53. coram Synedrio, rerum suarum peritissimo verba faciens, diserte dicit, accepistis legem *εις διαταγας αγγελων*, per dispositiones ut
Eraf-

(1) Probare hoc solent ex Jobi 9: 9. de vocibus vero כִּימָה & כִּסִּיל loquuntur VITRING. in Comment. in Jes. 13: 10. HOFFMANVS & REIMARVS ad I. Jobi cit. Apparet hinc *clar.* WHISTONVM non esse primum auctorem sententiæ de diluvio per cometam terræ immisso.

Erasmus reddit, *angelorum*. Non ac si ipsi angeli essent Legislatores, absit ut hoc demus familiae *Socini*, & illis qui in *Remonstrantium* castris militant LIMBORCHIO, GROTIIO, CLERICO. Angeli enim in ecclesia, ut non repetamus quae supra jam diximus, sunt ministri, conservi credentium πνεύματα λειτουργικα spiritus ministratorii, non autem Legislatores. Etiam διαταγή vocabulum huic loco accommodatissimum, aliud cogitare suadet. Videtur enim vir sanctus exprimere quod Moses dixit אתה מרבות קודש venit myriadibus sanctitatis (1) Deut. XXXIII. 2. quod Moses nominat מרבות, Stephanus vocat διαταγας. Observantibus Philologis clar. διαδοσσειν verbum est militare, declarans belli ducis studium in ordines cogendi milites, quales sunt legiones, cohortes, chiliades, ne turbam in aciem ducere necesse habeat. Talis ordo, aut si mavis turma rite dispositus vocatur διαταγή, ut & leges & mandata, quibus in tali turma ordo conservatur, & hinc in genere mandatum, praecceptum, legem denotat. Ordinem talem etiam Hebr. רבבה & רבוא indicant. (2) Sensus igitur est, Legem accepisse Ju-

- (1) Alexandrini retinuerunt hic vocabulum קודש reddentis στυ μυσιασι καδης.
- (2) Lev. 26: 8. ordines militares sibi opponuntur, Centum ex vobis (מאה) Centuria myriadem, (רבבה) hoc est ordinem maximum persequentur. Sic 1 Sam. 18: 7. pariter ordinem militarem denotat, percussit Saul millia sua (אלפין) David autem myriadas (ברבבתין) suas, hoc est ordines maximos. Num. 10: 36. Redi Jehovah ad myriadas ad chiliades Israelis, totus enim Israel ordine militari erat a Mose dispositus. CASTALIO verba priora non inepte reddit, Convertte te Jehovah AD LEGIONES exercitus Israelitarum. Nam legiones aliquatenus accedunt ad רבבות myriadas. Mirum nemini videri debet, angelos ordine quasi militari dispositos describi Psalm. 68: 18. Dan. 7: 10. Nam notissimum est quod constituant צבא exercitum, quibus praest ipse Angelus increatus Christus. Ceterum μυριας hoc sensu etiam occurrit in Judae epistola Catholica §. 14. qui locus pariter ad cit. Mosi respicere videtur: C. 2

23.
22.
21.
20.
19.
18.
17.
16.
15.
14.
11.
12.

Judæos scil. a Deo, inter ordines angelorum, dispositorum adinstar exercitus, quemadmodum recte *cl. COCCEJVS* in *Comm. in Epist. ad Gal. III. 19.* & *LE MOYNE* in *Var. Sac. p. 153.* observant. Non obstat huic interpretationi *Paulus*, quemadmodum vult *clar. WOLFFIUS* in *Cur. ad h. l. Gal. III. 19.* sed potius illam mirifice declarat, dicendo quod lex sit *διαταγείς δι' ἀγγέλων, ἐν χειρὶ μεσίτου.* Videtur quidem recta fronte locus hic pugnare contra sententiam allatam: ast perit difficultas omnis ex recta vocolæ *διὰ* explicatione. Communiter *PER* cum casu secundo denotat. Hæc significatio admitti nequit, obstant enim rationes superius allatæ. Sed *διὰ* præterea *inter* denotat, ad quem significatum interpretes non satis attenderunt, quo admissio, omnis difficultas evanescit. (1) Sensus igitur est, legem accepistis *inter angelos*

tur: ἦλθε κύριος ἐν μυριάσιν ἀγίαις. Profanos etiam in ordinibus militaribus habuisse *myriadas*, patet ex *ÆLIAN.* lib. VI. c. XII. Var. Hist. ubi pedestres copias *Dionysii junioris* dicit fuisse *δέκα μυριάδας* decem *myriadas*, quod si *μυριάς* ordo militaris non fuisset, *Ælianus* simpliciter p. d. dixisset, exercitum centenis hominum millibus constituisse.

(1) Ne videamur pro auctoritate hæc scripsisse, exemplis claris & perspicuis hinc significatus est adstruendus. En igitur seqq. *ARISTOPH.* *Plur. ψ. 93.*

καὶ μὲν ΔΙΑ' τοὺς χρηστούς γε τιμᾶται μόνους.

Atqui *INTER* *justos* honoratur solos.

ÆLIAN. lib. VI. c. VI. V. H. de *Lacedæmoniis* in acie prostratis *ΔΙ' ἐπαίων ἦγοντο INTER* laudes ducebantur scil. ad sepulchrum. Lib. III. c. 34. *προσέτατατον γὰρ ΔΙΑ' τῶν ἄλλων σωφρονεῖν τοὺς πολίτας καὶ διὰ τῆς τραπέζης, ordinarunt enim ad temperantiam revocare cives, INTER alia etiam per mensam.* Ex N. T. huc pertinet i *Tim. 2: 2.* quæ audivisti ex me *ΔΙΑ' πολλῶν μαρτύρων.* Non audiverat *PER* sed *INTER* multos testes. Alia exempla profert *Lex. Gr. Dec. Auc.* ubi simul observatur, significatum hunc etiam a *Latin. PER* non esse alienum. *Cel. SCHWARTZ,* hunc significatum in *Comment. Crit.* penitus neglexit.

turmatim scil. dispositos, ab angelo fœderis, mediante, vel ministrante Mosè mediatore. Hoc si observasset WOLFFIUS, vix ac ne vix quidem rem indecisam in medio relinquere potuisset. Cadit hoc ipso etiam *cel. ELSNERI*, cujus cineres propter eruditionem veneramur, interpretatio, existimantis revera angelos legem *auctoritate jussu mandato nomine & verbis Filii Dei*, in monte Sinai præsentis, promulgasse. (1) Neque necessarium est ut cum *doct. STUMPFIO* fingamus, angelorum ministerio vocem in aëre fuisse efformatam. (2) Faculam etiam præfert hæc explicatio Hebr. II. 2. 3. ubi pariter angeli testes & spectatores, comites Legem promulgantis Angeli fœderis introducuntur: *Si enim sermo* hoc est *Lex dei ἀγγέλων λαλήθεις* non PER sed INTER angelos dictus fuit firmus &c. Supponunt igitur & hæc, in comitatu angelorum splendidissimo, Legislatorem ad Legem ferendam descendisse in montem.

§. VIII.

Comitantibus angelis Jesum nostrum rediturum, neminem fugit. Testatur hoc ipse fervor Math. XVI. 27; *Futurum est, ut veniat filius hominis cum gloria patris sui, cum angelis suis, μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ* -- Idem testantur Apostoli. Paulus 1 Thess. IV. 16. Nam ipse dominus descendet è cælo ἐν κέλευσματι, ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου &c. *Clav. WITSIUS* (3) recte quidem ad h. l. observat, quemadmodum dominus noster legem promulgaturus in monte Sinai, venit cum myriadibus sanctorum suorum - - - ita secundum legem istam judicaturus, adveniet cum sanctis millibus suis; quando vero cum plerisque interpretibus κέλευσμα accipit de clamore, quo vel milites vel nautæ sese exhortantur, quo adunatis viribus opus adgrediantur; explicatio ad lapidem

(1) Conf. WOLFF. *Cur. in Epist. ad Gal. 3: 19.*

(2) *Misc. Duisburg. Tom. I. p. 579.*

(3) *Misc. I. Tom. II. p. 102.*

lydium est exploranda. Ut dicamus quod res est, parum convenientes nobis videntur inconditi tales clamores, in adventu iudicis supremi, quem merito gloriosum exspectamus. An honori cedunt regibus, an gloriosum & maiestate plenum introitum augent, clamores & magna convicia comitantium? Et cui usui essent cum ab hominibus hi clamores, propter fragores tonitruum iteratorum vix ac ne vix quidem exaudiri possint. Non bella gerenda sunt angelis contra inerme istibecilles, tremore & anxia exspectatione futurorum exanimis homines. Quod si his clamores adscriberentur flebilesque vociferationes, pedibus iremus in sententiam, quia revera tale quid de viventibus relatum legimus. Accedit quod parum conveniens tale *κέλευσμα* sit angelicæ, quatenus illam novimus, naturæ, desiderio ardentissimo ad imperata exequendum fragrantis, quàm ob causam & *Seraphim* audire est notissimum. Quo jure sic animatis spiritibus quis *hortationis clamores*, ut BEZA & ERASMVVS vocabulum reddunt, adscribere possit, non intelligimus, non videmus. Missa igitur parum probabili conjectura, licet communibus sit suffulta suffragiis, videamus an non aptior rei que convenientior substitui possit interpretatio. Non terret nos *clar.* BEZÆ, curiosius hic philosophandum non esse edicentis (1) auctoritas, periculum enim nullum hinc præfagire possumus. *Κέλευσμα* procul omni dubio est deducendum a themate *κέλειν*, quod *ire* significat, & hinc est *κέλευδος via*. Doceat hoc Auctor *Schol. Parv. in Homer.* (2) Hic vero *Iliad. o. p. m. 268.* ad versum:

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κελιτίζειν ἔνυ εἰδώς.

Ita scribit:

κελιτίζειν) ἵππων κελίτα ἐλαύνειν. Κέλις ὁ μονάμπυξ, παρὰ τὸ ΚΕΛΕΙΝ, τὸ βαδίζειν, ὅθεν καὶ κέλευδος, ἐπεὶ τὸ παλαιὸν ὡς ἐπὶ πᾶν τοῖς ἄρμασιν ἐχρῶντο. Κελιτίζειν ἐστὶ
equo-

(1) in not. ad h. l.

(2) Edit. quæ Basil. ex offic. Hervagii 1551, prodit.

equorum κέλιπα regere & ad currendum incitare. Κέλιος vero vocatur equus singularis, incitatissimo cursu pergens, a themate ΚΕΛΕΙΝ quod est IRE, hinc etiam est κέλευθος via quia olim ut plurimum curribus utebantur. Hinc jam divinare possumus quid sit κέλευσμα, nempe significat ad iter faciendum necessaria, qualia sunt præter currum comitatus. Quis non videt, hunc significatum optime ad rem facere, sensus enim emergit hic, veniet dominus cum comitatu, hoc est cum angelis, comitibus & ministris suis perpetuis, qui etiam interdum ut *currus Dei* describuntur. Eo magis ad hanc interpretationem amplectendam adigimur, quia in sequentibus mentio fit archangeli, qui est κελουσις præfectus & director hujus comitatus. Redibit igitur iudex totius terræ, eodem stipatus comitatu, quo olim apparuerat in monte. Et qui angeli abesse possent, quorum est ut convocent colligantque ad tribunal iudicis & viventes & mortuos & parvos & magnos & justos & injustos.

§. VIII.

Locus Legislationi sacer, in quem Legislatorem descendisse tradit Moses, erat mons *Sinai* in ipsis nubibus prominens, proptereaque celebratus viatoribus, qui oculis curiosis illum non tantum lustrarunt, sed & pedibus, non obstantibus impedimentis plurimis calcarunt. Erat igitur adinstar columnæ, cui non quidem insculpebantur leges, quemadmodum Romanis & Græcis in more positum fuisse veteres tradunt, (1) sed ex qua lex promulgabatur. Visum vero est Servatori, locum editum, montem altissimum eligere, ut eo melius omnes Israelitæ, ad radices montis collecti, Symbola visibilia iudicis invisibilis observare, vocemque jubentis ad unum omnes audire possent. Erat enim locus quasi in medio aëre, & ipsa vox aures verberans Israelitarum in aëre formabatur.

§. X.

(1) Conf. ZORNII *Bibl. Ans.* pag. 824. & pag. 989. & *Comment.* ad 1 Tim. 3: 15.

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

11.

12.

§. X.

In medio aëre etiam conspicietur iudex nempe in nubibus caeli uti ex ipsius ore discimus. Et in aërem etiam rapientur iudicandi. Doctrina hæc est Pauli, qui dicit i Theff. IV. 17. *Rapiemur simul* scilicet cum mortuis ad vitam revocatis *in nubes, in occursum Domini in aëra.* Fieri hoc poterit, cum corporibus ut Paulus illa vocat *πνευματικοῖς* *Spiritualibus*, levibus, quibus sustinendis vel levissimus aër aut si mavis aether par est. Aër enim corporibus deesse nequit, etiamsi sint spirituales, aut omnis respiratio corporibus his spiritualibus est neganda, quo ipso vasa, respiratori inservientia, qualia sunt pulmones essent superflua, imo ne quidem loqui possent, cum tremulus aëris motus sonitum formet, tympanumque percutiat aurium nostrarum. Ipsum hujus mundi fatum ultimum, incendium illud universale postulat, ut incolæ inde eleventur, & in aëre vi & potentia divina sustineantur. Et hanc divinam potentiam, indicare Apostolus nobis videtur, dum asserit *ἀρπαγισόμεθα ἐν νεφέλαις* *rapiemur in nubes, et pro eis* ut sæpe alias posito. Apparet hinc S. Scripturam iudicii locum sat clare definire, & cum Rabbinis & Rabbinizantibus de valle JOSAPHET non esse cogitandum. (1) Locus enim Joel. III. 2. ad quem provocare solent, non de universali hominum omnium iudicio, sed de particulari in hoc mundo exercendo agit. Et qui vallis unica & minime spatiosa omnes omnino homines capere posset?

§. XI.

(1) Rabbistorum sententiam exponit EISENMENGERVS l. c. T. II. p. 956. & 976. amplectuntur etiam Muhammedani teste MAVN-DRELLIO in Itiner. suo hanc opinionem. Conf. cel. REIMANNI & Anonymi *dissers. Bibl. Brem. Class. VI. Fasc. III. & Class. VIII. Fasc. I.* Videre hinc possumus quid de pervulgata in *vallens Josaphar* appellatione sit statuendum. Lectu dignissimam de hac appellatione publici juris fecit dissert. JOH. ERNEST. GERHARDVS, quæ Jenæ, 1660. prodit.



THESES DEFENDENTIS.

- I. *Ut amplior disputandi campus pateat, totam catechesin Heidelbergensem defendendam suscipimus.*
- II. *Quia Deus non tantum Clericorum sed & Laicorum salutem intendit, non solum illis sed & his scrutinium Sacrae Scripturae incumbit Job. V. 39.*
- III. *Sac. Script. quae fidei morumque est regula, perspicuam necessariam & perfectam esse defendimus; rejicimus igitur jactatas traditiones dogmaticas.*
- IV. *Non solum docet ratio, quod Deus peccatori gratiam largiri possit, sed & quod velit.*
- V. *Moses est Auctor Pentateuchi.*
- VI. *Paulus est Auctor Epistolae ad Hebraeos.*
- VII. *Marcum graeca & non latina lingua Evangelium suum exarasse, contra Baronium asserimus.*
- VIII. *Nullam tribuimus auctoritatem libris sic dictis Apocryphis.*
- IX. *Ad foedus operum adstruendum firmissimum argumentum peti potest ex Hosea VI. 7.*
- X. *Qui talia docent, quae cum verbo divino non possunt consistere, illi merito ecclesia Evangelico-Reformata excluduntur.*
- XI. *Studium Metaphysices, Logices & Physices futuro Theologo longe maximi usus est, tam in explicanda S. Script. & intelligendis nostratibus Theologis, quam in adversariorum Strophis refellendis.*
- XII. *Infernum jam esse paratum ex Sacra Scriptura discimus, quae & docet incolis non esse destitutum.*
- XIII. *Licet nullus judex controversiarum visibilis sit in Ecclesia, possunt tamen Synodi ad examinandam controversiam & ad illam determinandam convocata non parum conferre: Defendimus propterea utilitatem Synodorum rite institutarum.*

D

Ruch

23.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

11.

12.



Nach dem Befeh, so GOTT auf Sinai gegeben,
Wird er an jenem Tag erforschen unser Leben.
Dan denen, die ihn hie geliebt, wird er die Cron
Aufsetzen, diß ist ja ein rechter Gnaden-Lohn.
Hingegen wird er auch ein strenges Urtheil sprechen:
An denen, die sein Wort veracht, wird er sich rächen.
Der dort erschien, der kommt zu richten alle Welt,
Wie solches diese Schrift recht deutlich vorgestellt.
Mein Freund, wan Du dan dort vor Gottes Stuhl wirst stehen,
So wünsch ich, daß du kanst freymüthig zu ihm gehen:
Folg jenem Moses nach, da er zum HEMMEN ging,
Und auf des Berges Spiz die zehn Gebott empfing.

Dieses wolte dem Herrn *Defendenten* zur Unterhalt-
tung der Freundschaft hinzusetzen

Carl Büttinghausen, S. Th. Cult.
Palatinus.

Æva juventutis fugiunt velociter: Ergo
Ætatis fructus quare juvena vaga,
In Senio ni te, (puitis melioribus annis)
Pigritia pigeat desidiaque tua.
Dulcis AMICE! TVI quum rursus signa laboris
Edis, *Pierides* TE coluisse patet.
Gratulor ergo TIBI, TV pergas invigilare
Ingeniis studiis, omnipotentis ope.
Sic poterit tandem patriæ felicis honorem
Virtus & pietas amplificare tua.


Hac pauca Doctissimo Domino RESPONDENTI in
perpetuæ amicitiaë tesseram posuit


Casp. Guil. Reinh. Scholten,
Med. Cult.



Index.


- 1.) Jar. Bucher (f. P. S. t. Baumgarten) de Variis modis abutendi Evangelio.
- 2.) So. Rud. Ant. Piderit de Characteribus Antichristi.
- 3.) Jud. Christ. de Glanz de Sura docendi in conventibus sacris.
- 4.) So. And. Tafinger (f. P. S. t. Baumgarten) de Sacramentis generationis spectatis.
- 5.) Gabr. Joh. Speck (f. P. S. t. Hartmanni) de Consubstantiatione nullo modo haeretica.
- 6.) Joh. Filomana d. Schenck de morte fidelium temporali.
- 7.) So. Mart. Chladenius de morte fidelium post devotam a servatore mortem residua nihil paradoxo. (Habente.)
- 8.) Bernh. Georg. Freckmanni (f. P. S. t. Baumgarten) Hypothesis doctrinae de statu animarum separatarum.
- 9.) So. Christ. Hebenstreit Dissquisitio: Num Moses in formanda sua gentis Republ. de futuris promissis aut poenis cogitaverit, eorumque aliquam mentionem fecerit?
- 10.) Phil. Jac. Ammendorf de convenientia novissimi Suedici cum Legislatione. Diff. prior
Diff. posterior
- 11.) _____
- 12.) Gottl. Wernsdorffii Dissquisitio: Utrum forsan nonnulli pii ante diem extremum resurgant?
- 13.) Gottl. Joh. Winckleri (f. P. S. t. Baumgarten) Concentratio quorundam Oratio, Meditatio, Tentatio faciant unam Theologiam.
- 14.) Gottl. Muller de Exercitiis Theologica.
- 15.) Rud. Diet. Lovemanni Dissquisitio: Num mens hilarior, an tristior Ministris Eccl. potius magis deceat?
- 16.) So. Lud. Frid. Schulleri (f. P. S. t. Baumg.) Fuga Christianorum & infp. Sacerdotum ad turkiam Rel. & Revel. exacta.
- 17.) Hier. Jan. Schellner (Prof. Eccl.) de Lachione necessaria in quæstio de disciplina in Eccl. una defectu infauranda, Defensio.
- 18.) So. Georg. Knappii de Statu temporum nato Christo & de singulari plene temporis nostri signo.
- 19.) Laur. Reumhardt Sciagraphia & Prodomus Theologiae Eccegeticae.
- 20.) Hier. Georg. Glöckneri Examen rationis interpretandi a Westhenio plerumque adhibita.
- 21.) Jus. Georg. Zeltneri Evangelium tetragammaros e N. T. exularis.
- 22.) Car. Lud. Francke (f. P. S. t. Michaelis) de Josepho, typo Messia admodum perfecto.
- 23.) Joh. Fried. Stoy (f. P. S. t. Pfizeri) de Beneficiis Typicis.














um calamitatum, quas subire antea debuerant, ob-
 s conciliare potuit. Denegavit quidem regioni
 rtilitatem & praestantiam, contra Dei hominum-
 onia, post JULIANVM apostatam, famosus no-
 um empaecta TOLANDVS, qui haud ita pridem
 abiit. Refutavit vero hominis nugas, figuratum
 paratum sensum loco classico Exod. III. 8. adfin-
 que impiam de pia fraude, dolo, stratagemate
 n, per tristia loca oberrantem, locutionibus hu-
 plicis animaturi sententiam, Rev. DN. DEY-
 dum variis variorum Scriptorum testimoniis, de-
 ABONIS, cui TOLANDVS, ob animi mali-
 dei praebuerat, suspectam esse comprobat, & ho-
 terrae, ob maledictionem divinam, toto caelo a
 vincit. Verum, qui maledictionem vel benedi-
 ei persuaderes, qui omnem risit religionem? Ab-
 detorsio verborum Scripturae; qui potius sum-
 icium Dei debita admiratione veneramur, cum
 antiam regni Servatoris nostri, mystice hoc ipso
 ntiam divinam, dilineatam. Siquidem in intro-
 in hanc terrae promissae quietem tantum ac-
 na Pauli, vel potius Spiritus S. argumentatio pro-
 Heb. IV. 8. 9. colligit: *Ει γαρ αυτες ιησους (Jo-
 , εκ αν περι αλλης ελαλει μετα ταυτα ημερας· αρα
 βατισμος τω λαω τε θει.* Ergo σαββατισμον,
 ipra §. IV. in typo Sabbati adumbratam, typum
 um gratiae tum gloriae fuisse, vel minima cura
 nditur. Tertia quoque comparationis eruere,
 Duce[m], vel subditos & incolas, vel denique re-
 stem accuratius perpendamus. Josuam Jesus no-
 en habuisse, partim ex loco adducto, partim ex
 F 3 alio

P. II. obs. IX. §. IX. seqq.